

# Caelibatus sacerdotalis in Decreto conciliari « Presbyterorum Ordinis »

D. ALVARUS DEL PORTILLO, Secretarius Generalis Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis (Opus Dei), iam Secretarius Commissionis Conciliaris « De disciplina cleri et populi christiani »

## SUMMARIUM

*Concilium Vaticanum II ample agit de themate caelibatus sacerdotalis, praesertim in Decreto Presbyterorum ordinis, n. 16, et in Decreto Optatam totius, n. 10, at in Aula conciliari de hoc arguento, tantis implicationibus obnoxio, praecavendi causa actum non fuit. Textuum redactio fructus est studii profundi collegialiter peracti a Commissionibus. Caelibatus vinculum cum sacerdotio: theologiche patet caelibatum non pertinere ad structuram constitutionalem sacerdotii ministerialis. Quaenam ergo ratio ob quam vinculum intercedit sacerdotium inter et caelibatum? Affirmari certo non posse videtur considerationem doctrinalem usus matrimonii, velut quid impurum, esse veram et praecipuam rationem vinculorum convenientiae inter sacramentum Ordinis et caelibatum. Vaticanum II dum profunde doctrinam exposuit de vocatione universalis ad sanctitatem deque valore matrimonii prout est vocatio et via ad eandem sanctitatem consequendam, rationes exposuit quae multimodam convenientiam caelibatus cum sacerdotio confirmant; haec includi posse videntur intra duas magnas lineas directivas: 1) consecrationem scil. et 2) missionem quibus innititur profundior inquisitio a Concilio facta circa theologiam sacerdotii. Sacerdos, homo Deo consecratus: presbyteri Christo Sacerdoti configurantur; missio et vita sacerdotalis arctissime assimilatur missione et vitae Unigeniti Patris. Inest igitur vocationi sacerdotali talis assumptio personae a parte Dei, ut haec ipsa intimis obstringatur vinculis et consecretur totali amori atque servitio Christi Sacerdotis; bene ergo intellegitur summa convenientia amplexandi in propria vita illam perfectam continentiam cuius typus et exemplar est virginitas Christi Sacerdotis. Sacerdos, hominum servitio traditus: sacerdotium intime connectitur cum mysterio, vita, progressione atque destinatione Ecclesiae; persona et vita sacerdotis integre ad ceteros homines pertinent suntque in Ecclesiae possessione. Ideoque Ecclesia docet rationes quas supra exposuimus pertinere ad spiritualitatem specifice sacerdotalem quae tendit ad intimam configurationem moralem sacerdotis cum Christo, immo ad mysticam transformationem in Ipsum Summum Sacerdotem. Meminisse demum iuvabit perfectam atque perpetuam propter regnum caelorum continentiam divinum esse donum, quod Deus tribuit cui vult.*

## I. BREVIS HISTORIA TEXTUS

**E**PISTULA Summi Pontificis Pauli VI in Congregatione Generali Concilii Vaticani II lecta (11 oct. 1965), ubi edicebatur non expondere ut de caelibatu sacerdotali in publicis disceptationibus Aulae Conciliaris ageretur, nonnullis videri potuit veluti impositio qua hoc thema excludebatur a competentia Concilii, quod proinde debuisse hanc quaestionem praetermittere in Decreto *Presbyterorum Ordinis* — cuius

textus Congregationis Generalis iudicio tunc temporis subiiciebatur —, vel, ut plurimum, eam exponere modo generico, quin ergo Concilii Patres in huius rei profundum studium incumbere valerent.

Res tamen aliter se habebat. Epistula vitavit quidem ne, in themate tantis implicationibus obnoxio, publici iuris fierent disceptationes quae, si forte expositae fuissent sine necessaria prudentia in instrumentis communicationis socialis — cum insistentia forsitan circa aspectus magis allicientes curiositatem —, confusionem gignere potuissent apud non paucos sectores publicae opinionis. Actum est igitur de dispositione tendenti ad vitanda incommoda forte orientia — quae ceterum nullam claritatem afferre potuissent pro sereno studio huius materiae —, haud vero de Patrum libertate ullo modo coarctanda. Hi enim exhibere perrexerunt suas scriptas animadversiones in textum Decreti *Presbyterorum Ordinis* circa caelbatum, uti iampridem pluries fecerant. Ideo, piae oculis habitis documentis Concilii Vaticanii II ubi de hoc themate agitur necnon perpenso itinere in iis redigendis adhibito, merito affirmari valet numquam antehac Concilium aliquod Oecumenicum de caelbatu egisse modo tam directo, in consessu complectenti tot Patres ex omnibus nationibus et cum tanta abundantia et varietate argumentorum.

Re enim vera, referentiae ad caelbatum in praecedentibus Conciliis continebant solummodo dispositiones disciplinares, quibus raro et veluti obiter quaedam explanatio characteris doctrinalis addebat. <sup>1</sup> Meminisse sufficit Concilium Eliberitanum (c. a. 300) sancire in canone 33 non caelbatum sacerdotalem proprie dictum, sed solummodo aspectum eius particularem: prohibitionem nempe utendi matrimonio iam contracto, statutam pro iis qui, in statu coniugali viventes, ad sacerdotium vocati fuissent.<sup>2</sup> Ipsum Concilium Tridentinum, in Sess. XXIV, caelbatum pertractat tantummodo indirecte, quia nihil aliud agit quam sancire nullitatem matrimonii contracti ab

<sup>1</sup> Nos coarctantes ad Concilia Oecumenica, citare possumus: CONC. NIC. I, c. 3: *Conc. Oec. Decr.*, p. 6; CONC. CHALC., c. 27: *ibid.* p. 75; CONC. NIC. II, c. 18: *ibid.* p. 128; CONC. LAT. I, cc. 7 et 21: *ibid.* pp. 167 et 170; CONC. LAT. II, cc. 6, 7, 21 et 27: *ibid.* pp. 174, 178, 179; CONC. LAT. III, c. 11: *ibid.* p. 193; CONC. LAT. IV, c. 14: *ibid.* p. 218; CONC. VIENN., c. 8: *ibid.* p. 340; CONC. BASIL., sess. XV et XX: *ibid.* pp. 49 (lin. 26-29) et 461-463; CONC. LAT. V, sess. IX: *ibid.* p. 598; CONC. TRID. sess. XXIV, c. 9 et sess. XXV, de ref. cap. XIV et XV: *ibid.* pp. 731 et 768-770. Mensione dignum quoque est CONC. TRULL. II, can. 6 et 13: MANSI 11, 944 et 948. Peculiare momentum habent c. 21 Conc. Lat. I et c. 7 Conc. Lat. II, qui considerari possunt ut priores textus ubi agitur de caelbatu sacerdotali sensu pleno et cum extensione universalis pro Ecclesia latina.

<sup>2</sup> «Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a coniugibus suis et non generare filios; qui cumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur» (MANSI 2, 11). Cf. etiam can. 27.

iis qui ordinationem in sacris receperint, quae autem praescriptio non inter dispositiones sacerdotium attinentes, sed inter canones de sacramento matrimonii invenitur.<sup>3</sup>

Contra vero, Concilium Vaticanum II ample agit de themate caelibatus sacerdotalis, praesertim in Decreto *Presbyterorum Ordinis*, n. 16 et in Decreto *Optatam totius*, n. 10. Heic necessarium non videtur ut affirmemus horum textuum redactionem fructum esse non alicuius impositionis ab auctoritate factae, sed studii profundi et per longum tempus protracti, quod collegialiter peractum est a respectivis Commissionibus Conciliaribus, attentis semper desideriis ac petitionibus Patrum Concilii. Notatim, quod attinet ad Commissionem Conciliarem « De disciplina cleri », ipsa sponte sibi proposuit, perdurante Concilio,<sup>4</sup> opportunitatem agendi de hoc themate, quin praecederet ulla indicatio ex parte Commissionis Concilii laboribus coordinandis eoque minus ex parte Summi Pontificis.

In prima adumbrata propositione — facta a Commissione Praeparatoria, anno 1961 — Schematis quod locum dedit Decreto *Presbyterorum Ordinis*, continebatur solummodo referentia generica ad castitatem quam sacerdotes colere debent.<sup>5</sup> Gressus habitus est in Schemate *De clericis*, diei 22 aprilis 1963, ubi mentio castitatis adhuc inveniebatur, sed novum elementum introductum est: traditiones nempe et praescripta proprii ritus, quibus verbis explicita referentia fiebat ad disciplinam vigentem in Ecclesiis Orientalibus.<sup>6</sup>

Textus perpoliri perrexit in n. 6 Schematis *De sacerdotibus*, diei 27 aprilis 1964, nam — prius quam de castitate aliisque virtutibus in concreto ageretur — exponitur principium generale de imitatione Christi deque vita secundum Evangelium agenda, ita tamen ut ipsa intelligi nequeat veluti reducta ad sic dictam vitam secundum *tria*

<sup>3</sup> « Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis (etiam si eam voverint) habere donum: a. s. Cum Deus id recte potenteribus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari » (*Conc. Oec. Decr.*, p. 731). Cf. etiam sess. XXV, de ref., cap. XIV et XV (*ibid.* pp. 768-770).

<sup>4</sup> Re quidem vera, caelibatus ecclesiasticus non recensebatur inter themata contenta in « Quaestiones Commissionibus Praeparatoriis Concilii Oecumenici Vaticanii II posita » (2 iul. 1960), neque inter themata inveniebatur quae, iuxta facultatem sibi concessam intra ambitum propriae competentiae, Commissio Praeparatoria « De disciplina cleri et populi christiani » proposuit Commissioni Centrali Praeparatoriae.

<sup>5</sup> Cf. Schema *De clericorum vitae sanctitate*, n. 10, Typis Polyglottis Vaticanis 1961, p. 9; cf. etiam Schema *De clericis*, n. 9: Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur, series quarta, Typis Polyglottis Vaticanis 1963, p. 32.

<sup>6</sup> Cf. Schema *De clericis*, n. 8: Schemata Constitutionum et Decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus, Typis Polyglottis Vaticanis 1963, p. 8.

*consilia evangelica*,<sup>7</sup> quod duxisset ad aequiparationem asceticam status clericalis cum statu religioso; in sequenti redactione, Commissio opportunum duxit magis amplificare paragraphum dicatam ad castitatem sacerdotalem, quapropter fit mentio expressa non solummodo huius virtutis, sed etiam caelibatus sacerdotalis in concreto,<sup>8</sup> additis nonnullis rationibus quibus ipse innititur. Hoc ergo evenit duobus annis post inceptum Concilium. Idcirco Commissio ad id faciendum ducta est, quod — uti dicebatur in Relatione Generali Schematis introductorya — «hodie tot voces confusae resonent sacrum caelibatum impugnantes», et ideo «peropportunum etiam visum est ipsum expressis verbis confirmare eiusque excelsam significationem in vita et ministerio sacerdotis exponere».<sup>9</sup>

Cum, mense octobri anni 1964, primo habita est disceptatio circa hoc Schema propositionum in Congregatione Generali, Patres Conciliares — qui iam a priore textus redactione multas animadversiones in scriptis miserant — desiderium expresserunt ut duodecim illae breves propositiones ita amplificarentur, ut possibile esset de problematibus presbyteratus necessaria profunditate agere.

Hoc modo, ante finem tertiae sessionis Concilii, Patribus traditum est Schema *De ministerio et vita Presbyterorum*,<sup>10</sup> ubi iam sufficienter exponi potuit thema de caelibatu sacerdotali, factis etiam necessariis distinctionibus et referentiis quoad condicionem eorum sacerdotum orientalium qui legitime in matrimonio vivunt.<sup>11</sup>

Attentis animadversionibus a Patribus in scriptis missis circa hunc textum, Commissio bis eum recognovit — videlicet mense martio 1965<sup>12</sup> et mense octobri eiusdem anni<sup>13</sup> —, ad perpolendas et corrigendas eas sententias e quibus oriri potuisse aliquia interpretatio minus recta vel aliquis sensus ambiguus. Multiplicibus his textus emendationibus non obstantibus — quas Commissio exsequi curavit iuxta propositiones a Patribus transmissa —, in votatione praevia ad approbationem Schematis ex parte Congregationis Generalis exhibi-

<sup>7</sup> Cf. Schema *De clericis*, Typis Polyglottis Vaticanis, 27 apr. 1964, p. 24.

<sup>8</sup> Cf. Schema *De vita et ministerio sacerdotali*, n. 2, Typis Polyglottis Vaticanis 1964 (die 2 mensis oct.), pp. 8-9.

<sup>9</sup> *Ibid.*, p. 4; cf. etiam relatio de propositione n. 2, litt. (A), (C) et (D). Commissio tamen hunc textum perstringere debuit quia, iuxta normas traditas a Commissione de Concilii laboribus coordinandis, Schema reductum fuerat ad 12 breves propositiones.

<sup>10</sup> Textus emendatus et relationes, Typis Polyglottis Vaticanis, 12 nov. 1964.

<sup>11</sup> Cf. n. 15 Schematis citati in nota praec.: *ibid.*, pp. 25 ss.; cf. etiam relatio de numero 15: *ibid.* p. 39.

<sup>12</sup> Cf. Schema Decreti *De ministerio et vita Presbyterorum*, textus recognitus et relationes, Typis Polyglottis Vaticanis, 28 maii 1965.

<sup>13</sup> Cf. Schema Decreti *De ministerio et vita Presbyterorum*, textus emendatus et relationes, Typis Polyglottis Vaticanis, mense octobri 1965.

biti sunt *modi* in texum de caelibatu subsignati complexive a 1.150 Concilii Patribus:<sup>14</sup> clarum quidem signum maxima attentionis ac profunditatis quibus Concilium hoc thema secutum est.

Consulto immorati sumus in brevi hac expositione historica, ut ostendere possemus Patres Concilii Vaticani II quovis tempore plenaque libertate manifestasse suam sententiam de hoc themate, licet in postrema Concilii sessione caelibatus partim excluderetur ab orationibus dissertationibus in Congregatione Generali. Patres enim qui, per novem successivas Schematis redactiones, proposuerunt emendationes vel suggestiones ad complendum textum circa caelibatum sacerdotalem complexive fuerunt 1.691.<sup>15</sup> Demum, quae de hac re edicabantur, una simul cum toto Decreto, approbata fuerunt in IX Sessione Publica Concilii, die 7 decembris anni 1965, adstantibus 2.394 Patribus, quorum 2.390 suffragium dederunt « placet », quatuor vero « non placet ».<sup>16</sup>

## II. CAELIBATUS VINCULUM CUM SACERDOTIO

In profunda reflexione circa suam naturam et missionem facta in Concilio Vaticano II, Ecclesia seipsam interrogavit de germano sensu quem habet caelibatus sacerdotalis — *quis sit eius valor?* — deque convenientia — *est sapientia Spiritus aut est solummodo prudentia humana?* — retinendi necne veterem ecclesiasticam disciplinam quae pro sacerdotibus Latini ritus eum servandum praescribit. Hae fuerunt praecipuae quaestiones ad quas, perdurante elaboratione et disceptatione numeri 16 Decreti *Presbyterorum Ordinis*, Patres reduci posse censuerunt multiplices illas interrogationes characteris theologici, pastoralis, oecumenici, ascetici, anthropologici ac disciplinariis quae ex isto themate oriebantur.

Independenter a diversis coniecturis historicis circa modum concretum — utrum nempe in matrimonio an extra ipsum — quo Apo-

<sup>14</sup> Cf. Schema Decreti *De Presbyterorum ministerio et vita*, textus recognitus et modi, Typis Polyglottis Vaticanis, mense novembri 1965, pp. 108-119.

<sup>15</sup> Nonnullis etiam in casibus Commissio prae manibus habere potuit alia elementa non officialia — studia, pervestigationes, propositiones, etc. — quandoque ad Secretariatum Commissionis directe transmissa a personis vel entibus privatis, quandoque vero mediantebus Concilii Patribus vel Peritis, qui tales pervestigationes promoverant vel collegerant. Cura adhibita est ut congrua attentione haec omnia perpendentur, cum ea quae ponderationem manifestabant et rem objective exponebant, tunc ea quae exprimebant vehementiam — comprehensibilem quidem — exortam nonnumquam a pecularibus adjunctis quae ad magnum dolorem movent.

<sup>16</sup> In suffragatione facta a Congregatione Generali circa expansionem *modorum* a Commissione factam (3 dec. 1965), exitus votationis quoad art. II Capitis III (ubi inventur n. 16, agens de caelibatu), sequens fuit: praesentes et votantes 2.271; placet 2.243; non placet 27; suffragium nullum 1.

stoli castitatem coluerunt,<sup>17</sup> theologicē patet caelibatum non pertinere ad structuram constitutionalem sacerdotii ministerialis ab eoque *sua pte natura*<sup>18</sup> perfectam ac perpetuam continentiam non exigi, idque innititur testimonio Ecclesiae primaevae (cf. 1 Tim 3, 2-5; Tt 1, 6) atque praxi et traditionibus Ecclesiarum Orientalium. Hoc quidem imprimis affirmatur in Decreto *Presbyterorum Ordinis*; at vero Concilii Patres statim alias quaestiones sibi proposuerunt: quae est ergo ratio ob quam vinculum intercedit sacerdotium inter et caelibatum? Pertinetne hoc vinculum, sicut aliae ecclesiasticae institutiones quae non sunt iuris divini, ad meram configurationem historiam alicuius realitatis socialis vel doctrinalis in vita Ecclesiae quae forte causam existendi aliis in adjunctis habuit, nunc vero sufficienti ratione non suffragatur?

\* \* \*

Inter diversas coniecturas historicas de caelibatus sacerdotalis origine, non defuerunt quae magnum momentum tribuerent doctrinis gnosticis, encratistis vel montanistis, platonismum redolentibus, in progressiva maturatione, saeculo III, conscientiae *dualistae* in sinu Ecclesiae, ex qua velut consequentia proflueret indiscriminata identificatio rei sexualis cum eo quod est *materiale et impurum* (praecipui representantes huius tendentiae essent Origenes et Tertullianus, qui post annum 308 transivit in montanismum). Ideo, iuxta easdem historicas coniecturas, ideale spirituale christianum — non sine quadam despectione status matrimonialis — eo tetendisset ut fortius in dies incarnaretur in virginitate, in continentia matrimoniali atque in viduitate, quae modo fere *obsessivo extollebantur* in abundantia litteratura ascetica. Hoc ideale radicale *puritatis*, quod — sequuntur eadem theoriae — initio ortum est tamquam tendentia generalis fidelium, sine ulla peculiari relatione ad ministerium pastorale, eidem deinceps progressive inhaesit, praesertim postquam, derelictis primigeniis eius formis exercitii in *domo ecclesiae*, ministerium episcopi, presbyteri et diaconi praevalenter consideratum est ut publicum et *sacrum* ministerium. Cum quodlibet exercitium sexualitatis — concludunt ipsae historicae coniecturae — haberetur ut aliquid impurum, haec evolutione necessario ducere debebat imprimis ad separationem inter ser-

<sup>17</sup> Ex. gr. TERTULLIANUS affirmat: « Petrum solum invenio maritum, per socrum; monogamum praesumo per ecclesiam, quae super illum omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura. Ceteros cum maritos non invenio, aut spadones intellectam necesse est aut continentes » (*De monogamia* 8, 4: C. Chr. 2, 1239). S. Ambrosius tamen contrarium asserit (cf. In 2 Cor. 11, 2: *ML* 17, 320), etc.

<sup>18</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16.

vitium directum Sacramentorum — quod maximum gradum puritatis in ministro postulat — et usum matrimonii, deinceps vero ad separationem inter ipsum servitium et possibilitatem nuptias contrahendi.

Non est hic locus aptus ad perpendendum quid sit verum quidve rerum veritati minus respondens in hac valoratione complexiva spiritualitatis christiana post saeculum III, eam considerando ut tendentem ad dualismum proindeque damnaticem cuiuslibet sexualitatis. Patet autem Ecclesiae Magisterium, Sancti Pauli vestigiis inhaerens magni semper habuisse christianum matrimonium, quod est *sacramentum magnum* (cf. *Eph* 5, 32), simul quidem docendo, iuxta Dominum exemplum et doctrinam (cf. *Mt* 19, 11-12), peculiarem excellentiam theologicam virginitatis Deo dicatae,<sup>19</sup> licet unusquisque fidelis sequi teneatur proprium donum Spiritus a se receptum (cf. *1 Cor* 7, 7). Affirmari ergo non posse videtur considerationem doctrinalem usus matrimonii, velut *quid impurum*, esse veram et praecipuam rationem vinculum convenientiae Sacramentum Ordinis inter et caelbatum, quae, saeculorum decursu, progressive perspecta sunt et valorem acquisierunt, prius in vita charismatica Populi Dei, deinceps vero in eius institutionibus.

Ceterum, nemo est qui cogitet Concilium Vaticanum II, dum profunde exposuit doctrinam de vocatione universalis ad sanctitatem deque valore matrimonii prout est vocatio et via ad eandem sanctitatem consequendam,<sup>20</sup> simul duci potuisse forma mentis platonica et manichaea ad exponendas rationes illas quae confirmant *multitudinem convenientiam*<sup>21</sup> caelibatus cum sacerdotio. Sed neque cogitari potest suppositam istam formam mentis — propagatricem radicalis oppositionis carnem inter et spiritum — infirmare potuisse iudicium valoris doctrinalis et historici quod fit dum Concilium Vaticanum II affirmat: «*Perfecta et perpetua propter regnum coelorum continentia a Christo Domino commendata, per decursum temporum et etiam nostris diebus a non paucis christifidelibus libenter accepta et laudabiliter observata, ab Ecclesia speciali modo pro vita sacerdotali semper permagni habita est*».<sup>22</sup>

Quaenam vero sunt in concreto hae rationes convenientiae caeli-

<sup>19</sup> Cf. CONC. TRID., sess. XXIV, De sacr. matr., c. 10: *Conc. Oec. Decreta*, p. 731; PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra virginitas*, 25 mart. 1954: *A. A. S.* XLVI (1954), 176 s.; innumeræ adduci possunt citationes SS. Patrum cum de valore christiano matrimonii tum de perfectæ continentiae praestantia.

<sup>20</sup> Cf. CONC. VAT. II, Const. past. *Gaudium et spes*, nn. 48, 52; Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 11, 41; etc.

<sup>21</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16.

<sup>22</sup> *Ibid.*

batus cum sacerdotio? Quod attinet ad textum Decreti *Presbyterorum Ordinis*, eae includi posse videntur intra duas magnas lineas directivas — consecrationem scilicet et missionem quibus innititur profundior inquisitio a Concilio facta circa theologiam sacerdotii, perspectam intra ambitum mysterii Christi Eiusque Ecclesiae.

a) *Sacerdos, homo Deo consecratus*

Sacerdos est praeprimis homo consecratus, est *homo Dei* (1 Tim 6, 11). In vita peregrinanti Populi Dei per decursum historiae hominum, sacerdos fuit semper homo electus et unctus, homo ex *homini-bus assumptus* (Hb 5, 1). Figura et vita illius qui vocatur ut sit minister cultus unico Deo vero exhibiti circumdatur ambitu quodam segregationis, vi cuius extra et supra communem hominum historiam aliquo sub respectu collocatur: *sine patre, sine matre, sine genealogia*, dicit S. Paulus de figura arcana et prophetica Melchisedech (cf. Hb 7, 3).

Haec autem vocatio atque electio novam profunditatem peculialemque valorem theologicum acquirunt cum, adveniente plenitudine temporis (cf. Gal 4, 4), ipse Deus factus est Sacerdos in Humanitate perfectissima atque sanctissima Unigeniti Patris, Christi Iesu, Pontificis futurorum bonorum (cf. Hb 9, 11). Ipse enim inauguravit in templo corporis sui (Io 2, 21) sacerdotium novum semetipsum offerens immaculatum Deo (Hb 9, 14) et per tempus perpetuare decrevit suum sacrificium (cf. Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24), mediante actione aliorum hominum, quos effecit et efficit participes sui supremi et aeterni Sacerdotii (cf. Hb 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28).

Ab hoc momento progressivae manifestationis divini propositi salutis, sacerdotium ministeriale in Populo Dei aliquid amplius est quam officium quoddam publicum et sacrum in servitium communis fidelium. Prae ceteris enim est configuratio seu transformatio sacramentalis et mysterio plene imbuta personae hominis-sacerdotis in personam ipsius Christi Capitis, Unici Mediatoris (cf. 1 Tim 2, 5). Etenim sacerdotium Novae Legis « *peculiariter illo Sacramento confertur, quo Presbyteri, unctione Spiritus Sancti, speciali charactere signantur et sic Christo Sacerdoti configurantur* ».<sup>23</sup>

Missio et vita sacerdotis Novi Testamenti arctissime assimilantur missioni et vitae Unigeniti Patris, nam Sacramentum prodigium operatur efficiendi ut homo, humana infirmitate carnis affectus, *in persona Ipsius Christi Capitis* agere valeat,<sup>24</sup> et illam participet auctor-

<sup>23</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 2.

<sup>24</sup> Cf. CONC. TRID., sess. XXII, Cap. II: *Conc. Oec. Decr.*, pp. 709-710; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*, 20 nov. 1947: *A.A.S.*, XXXIX (1947), 553; CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 10 et 28; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 2.

ritatem qua *Christus Ipse Corpus suum exstruit, sanctificat et regit*<sup>25</sup> ad gloriam Dei Patris procurandam et homines in vita divina continue provehendos, donec in consummatione saeculi (cf. *Mt 24, 3*) *Ipse Christus tradiderit regnum Deo et Patri* (*1 Cor 15, 24*).

Inest igitur vocacioni sacerdotali talis assumptio personae ex parte Dei, ut, servata integritate naturae humanae, haec ipsa intimis obstringatur vinculis et consecretur totali amori atque servitio Christi Sacerdotis. Tanta est plenitudo qua pollent intima illa vincula unionis cum Christo, ut sacerdos gratiae suaे vocationis fidelis merito cum Paulo Apostolo dicere valeat: *michi vivere Christus est* (*Ph 1, 21*), *vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal 2, 20*).

Cum hoc ita sit, bene intelligitur cur id quod continet et significat vocatio sacerdotalis — perspecta atque recepta cum profunditate theologica in dies magis plena — christianos sacerdotes etiam duxerit ad valorem tribuendum summae convenientiae amplexandi in propria vita illam perfectam continentiam cuius typus et exemplar est virginitas Christi Sacerdotis. Per illam enim *nova et eximia ratione Christo consecrantur*,<sup>26</sup> et ideo fortiter confirmatur et roboratur mystica unio ministri Christi cum Eo cui sacramentaliter assimilatus est.

Christus enim, cuius actionis sacerdos vivum instrumentum efficitur, suaे personae integritatem — animam nempe et corpus, idque per totum suaे vitae decursum — ministerio reconciliationis (cf. *Rm 5, 11*) adimplendo dicavit, ad quod missus fuerat. Bene ergo intelligitur cur sacerdos suam consecrationem ministeriale tam arcte coniunctam perspiciat cum convenientia, ex ipso Dei hominumque amore proveniente, configurandi suam vitam cum Christi Iesu virginitate, plene Deo et hominibus dicata, ita ut intimius uniatur cum Eo qui elegit, et in Eum plenius transformetur.

Christus, Sacerdos Magnus, plenitudinem suaे perfectae Humanitatis<sup>27</sup> servare voluit directe et exclusive vinculo obstrictam voluntati Patris adimplendae (cf. *Io 4, 34; 5, 30; 6, 38*), ut Eius gloriam quam maxime procuraret. Congruit igitur ut virginitas Deo dicata admodum opportuna sit ut sacerdos toto suo esse atque tota sua vita, cuius centrum ac radix est eucharisticum Sacrificium,<sup>28</sup> representet plenam immolationem perfectamque filiale donationem Christi Victimae.

Filius Dei, Amor inter homines incarnatus, quodlibet humanum vinculum vitavit — licet iustum et nobile —, quod aliquo modo pos-

<sup>25</sup> Cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 2.

<sup>26</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16.

<sup>27</sup> Cf. Symb. *Quicumque*, 32: Denz.-Schön. 75 (39).

<sup>28</sup> Cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 14.

set difficiliorem reddere totalem suam ministerialem dedicationem eive plenitudinem adimere: nihil ergo mirum quod oporteat ut sacerdos eadem ratione se gerat, per liberam renuntiationem, mediante caelibatu, rebus in se bonis et sanctis, quo facilius Christo adhaereat indiviso corde (cf. *Mt* 19, 12; *1 Cor* 7, 32-34) et liberius in Ipso et per Ipsum servitio Dei et hominum se dedicet. Ita etiam clare apparet intima connexio vigens inter vocationem ut quis sit Christi minister et invitationem Eius discipulis factam ut, inter alia, renuntient familiae condendae, uxori et filiis *propter me et propter regnum cœlorum* (*Mc* 10, 23-30; cf. *Mt* 19, 23-29; *Lc* 18, 24-30).

Christus, *mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu* (cf. *1 Pt* 3, 18), aliud connubium non habuit praeter illud cum toto genere humano in Ecclesia: sub hac luce optime perspicitur qua mensura sacerdotalis virginitas significet facilioremque reddat illam participationem ministri Christi in amore universalis Magistri in Eiusque missione integre dicata servitio novae humanitatis, quae originem suam *non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis... sed ex Deo* (*Io* 1, 13) habet.

Haec autem consideratio directe dicit ad perpendendum alterum aspectum vocationis ac ministerii sacerdotalis, cuius supra mentionem fecimus: eius habitudinem ad homines, peculiarem videlicet relationem quam sacerdotium ministeriale habet cum Populo Dei, cuius membrum sacerdos est, sicut ceteri fideles, et cuius servitio per Sacramentum Ordinis speciali ratione dicatur.

#### b) *Sacerdos, hominum servitio traditus*

Non secus ac sacerdotium Veteris Legis, Novi Foederis sacerdotium *pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum* (*Hb* 5, 1). Sacerdotis haec deditio ac dedicatio ad homines, ad Populi servitium, novam profundamque dimensionem theologicam acquisivit cum in mundum venit homo Christus Iesus, Bonus Pastor (cf. *Io* 10, 11; *1 Pt* 5, 4), quem Pater sanctificavit et misit (cf. *Io* 10, 36), *ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (*Tt* 2, 14). Quod opus in tempore perficit per ministerium suorum sacerdotum, quos simul per Spiritum consecrat et mittit, ut sint dispensatores mysteriorum Dei (cf. *1 Cor* 4, 1) in Ecclesia. Christus ergo, *habitans in nobis tamquam filius in domo sua* (*Hb* 3, 6), familiam Dei per ministros suos vocat, in unum congregat, vitam divinam in eam continuo infundit et ita ad Deum Patrem in Spiritu adducit.<sup>29</sup>

<sup>29</sup> Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 28; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 4-6.

Christianum ergo sacerdotium intime connectitur cum mysterio, vita, progressione atque destinatione Ecclesiae, Christi Sponsae virginalis (cf. *Ap* 19, 7; 21, 2 et 9; 22, 17; 2 *Cor.* 11, 2). Sacerdos est universalis pater, frater et servus: persona et vita eius integre pertinent ad ceteros homines suntque in Ecclesiae possessione, quae eum diligit amore nuptiali atque in eum, qui Eius Sponsi Christi partes gerit, relationes et iura habet, quorum nullus alius homo potest esse destinatarius. Matrimonium quidem bene significat (cf. *Eph* 5, 25) amorem nuptialem Christum Eiusque ministros inter atque Ecclesiam intercedentem. Bene ergo mente comprehenditur magna convenientia caelibatus — qui melius custodit unitatem cordis humani atque impedit ne homo sollicitus sit quomodo uxori placeat (cf. *1 Cor* 7, 33) — ad defendenda, plenitudine donanda divitiisque cumulanda vincula illa amoris nuptialis quae sacerdotium christianum cum Christi Sponsa coniungunt. Simul etiam apparet quo excellenti modo sacerdotalis virginitas stimulet, repraesentet ac testetur coram fidelibus et universo mundo pastoralem caritatem Boni Pastoris, qui paterne, fraterne et amice Semetipsum obtulit totum pro grege sibi commisso (cf. *Io* 10, 11; *1 Io* 3, 16), in qua caritate pastorali minister inveniet vinculum perfectionis ad unitatem redigens suam vitam et actionem.<sup>30</sup>

Electus, consecratus atque missus ut Ecclesiam efformet et nutritiat per Dei verbum et gratiam, sacerdos exsistentialiter intelligit, in sua vita pastorali, magnitudinem divinam simul et humanam sue vocationis, comperitque necessitatem quam sui habent alii homines. Cor sacerdotis dilatatur ipseque persentit suam affectivitatem atque capacitatem amandi plene ad effectum deduci in munere pastorali et paterno (cf. *Gal* 4, 19) gignendi laeto animo suum populum in fide eumque ducendi, sicut virginem castam (cf. *2 Cor* 11, 2), ad plenitudinem vitae in Christo. Bene igitur apparet quomodo virginitas, de qua dictum est: «nulla ergo carnis fecunditas sanctae virginitati etiam carnis comparari potest»,<sup>31</sup> sit peculiari modo pro sacerdotibus *fons spiritualis fecunditatis in mundo*.<sup>32</sup> Per ipsam enim sacerdos aptior fit qui *paternitatem in Christo latius accipiat*<sup>33</sup> et ideo in perfecta continentia evehitur atque dilatatur, in melius servitium operis regenerationis supernae, necessitas quam — non secus atque alius quilibet homo — sacerdos experit exerceendi suam potentiam generatricem atque ducendi ad maturitatem fructum sui amoris.

At vero Christi Sponsa virginalis atque fecunda his in terris pe-

<sup>30</sup> Cf. *Decr. Presbyterorum Ordinis*, n. 14.

<sup>31</sup> S. AUGUSTINUS, *De sancta virginitate* 8: *PL* 40, 400.

<sup>32</sup> *Decr. Presbyterorum Ordinis*, n. 16.

<sup>33</sup> *Ibid.*; cf. *Const. dogm. Lumen gentium*, n. 42.

reginatur a Domino cf. 2 Cor 5, 6), quae sursum sunt quaerit et sapit atque, primitias Spiritus habens, gemit (cf. Rm 8, 23) et cupit esse cum Christo (cf. Ph 1, 23) in gloria futuri saeculi (cf. Col. 3, 4) in quo filii resurrectionis, configurati claritati Christi (cf. Ph 3, 21), *neque nubent neque ducent uxores* (Lc 20, 35). Bene ergo intelligitur quo modo excellenti caelibatus, qui sacerdotem convertit in signum peculiari ratione repraesentativum virginitatis et amoris fecundi Sponsae Christi, eum simul efficit, tempore praesenti, testem propheticum illius mundi futuri in quo iustitia habitat (cf. 2 Pt 3, 13) et redempti similes Deo erunt, quoniam videbunt Eum sicuti est (cf. 1 Io 3, 2).

Pariter neminem latet perfectam ac perpetuam continentiam propter Regnum caelorum evidentiorem reddere coram hominibus — praesertim in medelam crism fidei quae a diversis formis materialismi per saeculorum decursum ortae sunt — vocationem illam eschatologicam quae inhaeret missione Ecclesiae. Haec vero attractio valorum supernorum modo peculiari per ministerium sacerdotum provocatur.

\* \* \*

Universae igitur hae rationes, *in mysterio Christi Eiusque missione fundatae*,<sup>34</sup> rationes sunt quas Ecclesia percipit per profundorem inquisitionem circa ipsam theologiam sacerdotii ministerialis. Christi Sponsa persentit tensiones admodum intimas invicem connectere mysterium amoris indivisi atque mysterium sacerdotii Novi Foederis; proindeque docet has rationes — haud quidem absolutam necessitatem induentes, summam autem convenientiam ostendentes — pertinere ad spiritualitatem specifice sacerdotalem, quae tendit ad intimam configurationem moralem sacerdotis cum Christo, immo ad mysticam transformationem eiusdem ministri in Ipsum Summum Sacerdotem, in cuius persona per Sacramenti gratiam agit. Magnopere expedire videtur ut haec realitas accurate pree oculis habeatur, nam mens Patrum Concilii semper fuit<sup>35</sup> ut vitaretur ne caelibatus sa-

<sup>34</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16.

<sup>35</sup> In redigendis nn. 12-17 Decreti *Presbyterorum Ordinis*, Commissio « De disciplina cleri » secura est criterium, a Congregatione Generali approbatum, exponendi fundamentalia linea menta germanae spiritualitatis sacerdotalis, quae capax sit ducendi omnes sacerdotes — independenter ab eorum statu saeculari vel religioso — ad perfectam *caritatem pastoralem*, nempe ad sanctitatem in perfecto exercitio proprii ministerii. Quae in his ergo textibus continentur circa vitam spiritualem et asceticam sacerdotis directe et immediate eruuntur — propter rationes sive necessitatem induentes sive peculiarem convenientiam exhibentes — ex ipsomet Sacramento Ordinis et e ministerio ad quod persona per hoc Sacramentum deputatur. Hac eadem de causa, in exponenda spiritualitate sacerdotali vitatur typificatio numerica et formalis virtutum intra sic dicta *tria consilia evangelica*, configurata a theoria thomista *status perfectionis*. Studium historicum elaborationis Decreti plene confirmat hanc mentem Patrum: cf. ex.

cerdotalis confundi posset — uti nonnulli fecerunt, quandoque ducti optima intentione *apologetica* — cum assimilatione quadam spiritualitatis sacerdotalis ad spiritualitatem status religiosi propriam. Rationes enim quas Decretum *Presbyterorum Ordinis* afferit non sunt ad extollendum valorem quem in se habet perfecta continentia — haec quidem praestantia ex ipsa Sacra Scriptura patet — neque indicant caelibatum sacerdotalem idcirco convenientem esse, quia faciliorem reddit personalem perfectionem consequendam vel sacerdotem sanctiorem efficit, vel quia distinctio fieri velit inter perfectionem quadam communem — illam videlicet ad quam omnes fideles vocantur — et aliam perfectionem, maioris scilicet gradus, ad quam tantummodo vocentur sacerdotes et religiosi.<sup>36</sup> Id vero in Decreto nullo modo affirmatur neque affirmari poterat: sanctitas quippe una est, nam omnes fideles in Ecclesia ad illam vocantur perfectionem sanctitatis qua Pater perfectus est<sup>37</sup> Concilium contra docet caelibatum cum sacerdotio summe congruere, ex eo quod roborat intimum vinculum instrumenti cum Amore qui eodem instrumento utitur, *optime exprimit et manifestat missionem sacerdotalem* et sacerdotes *valde adiuvat ad munus suum bene implendum*.<sup>38</sup>

Fidelitatem huic doctrinae momentum habere existimamus, etiam pro recta directione spirituali sacerdotum saecularium pro ipsaque alumnorum institutione in seminariis. Necesse enim est ut ipsi caelibatum semper intelligent et aestiment non ut elementum extrinsecum ac inutile — velut quandam *superstructuram* — suo sacerdotio superadditam propter influxum asceticae monachalis vel religiosae, sed ut convenientiam intimam participationis sacerdotalis in capitalitate Christi et in servitio novae humanitatis quam, in Ipso et per Ipsum, sacerdos ad plenitudinem dicit.<sup>39</sup> Hoc modo, meditatio mysteriorum

gr. Schema Decreti *De ministerio et vita Presbyterorum*, Typis Polyglottis Vaticanis, oct. 1965, Relationes de nn. 12 (litt. A), 14 (litt. A), 15 (litt. A et B), pp. 60-62. Commissione etiam expresse reiecit petitionem a nonnullis Patribus exhibitam, ut extendetur ad Presbyteros conceptus *status perfectionis*, quem s. Thomas Aq. Episcopis tribuit (cf. *Summa Theol.*, II-II, q. 184, a. 5).

In hac aliis similibus quaestionibus, si quis interpretari desideret doctrinam Concilii Vaticani II forte prae oculis habere debet ecclesiologiam nostris diebus praevaleenter considerare non statuum divisionem in Ecclesia, sed pluralitatem et diversitatem ministeriorum, intra ambitum fundamentalis aequalitatis, dignitatis et missionis omnibus christifidelibus pari modo pertinentium.

<sup>36</sup> Neque etiam in Decreto ullibi affirmatur sacerdotes caelibes Ecclesiae latinae vel Ecclesiarum Orientalium esse per se *sanctiores* quam sacerdotes legitime coniugatos rituum orientalium. Neque dicitur hos sacerdotes coniugatos vocari ad sanctitatem minoris gradus. Commissione reiecit omnes modos in quibus haec idea innuebatur.

<sup>37</sup> Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 11, 39 etc., praesertim totum caput V.

<sup>38</sup> Cf. Schema Decreti *De ministerio et vita Presbyterorum*, Typis Polyglottis Vaticanis, oct. 1965, Relatio de n. 16, p. 62.

<sup>39</sup> «Semper spectavit ad gratiam sacerdotum iacere semina integritatis, et virginitatis studia provocare» (S. AMBROSIUS, *De virginitate*, 5, 26: *ML* 16, 272 D).

quae propria eius vocatio secum fert ac significat, per se sacerdotem ducet ad amorem perfectae continentiae in ipso amore sui sacerdotii, atque ita ad amplectendum cum animo laeto ac generoso sacrificium fecundum quod a caelibatu postulatur.

Adaequata haec comprehensio ac valoratio intimorum vinculum ordinis theologici et pastoralis quae caelibatum cum sacerdotio co-niungunt respondet praeterea ad aliquam intimam exigentiam, quam forte homines nostri temporis peculiari sensibilitate percipiunt: nos referimus ad desiderium authenticitatis, sive vitam agendi iuxta esse unicuique proprium, vitata qualibet incongruentia inter esse et actionem. In ambitu mere psychologico, haec est exigentia necessariae aequilibritatis interioris qua persona indiget; in ambitu vero ethico, est manifestatio amoris et fidelitatis erga propriam vocationem.

### III. CAELIBATUS UT DONUM ET LEX

Vinculum ergo caelibatum cum sacerdotio coniungens non est vinculum quoddam artificiale. Licet ad fundamentalem Ecclesiae constitutionem non pertineat, caelibatus sacerdotalis non est *superstrutura* sine fundamento, neque est adhaerentia historica transitoria et caduca. Fructus est enim actionis Spiritus in Ecclesia, ideoque vitalis manifestatio processus quem granum sinapis experitur donec in arborem convertatur (cf. Mt 13, 31-32). Antequam theologorum reflexio systematice in compendium redigeret rationes christologicas, ecclesiologicas et eschatologicas huius convenientiae, sensus fidei Populi Dei percipere coepit profundam amplitudinem spiritualem et pastoralem qua pollet vinculum caelibatus cum sacerdotio. Supernaturalis instinctus communis propheticae unctionem habentis a Sancto (cf. 1 Io 2, 20) praecessit successivis actibus Magisterii hierarchici, quod prius omnibus clericis caelibatum commendavit, deinceps vero — pro Ecclesia Latina — iuridicam obligationem talis vinculi sancivit quoad promovendos ad sacerdotium.

Hoc modo Hierarchia suis normis rexit motionem quae initium ceperat in intimitate charismatica Ecclesiae, sicque socialem viam stravit huic manifestationi vitae ipsius Spiritus. Iterum nostris diebus Ecclesia in Concilio coadunata — et quidem in Concilio universalis prae ceteris aliis sub aspectu sociologico<sup>40</sup> — hanc legislationem

<sup>40</sup> Utilis videtur haec consideratio, nam nuper aliquis asseruit *Litteras Encyclicas Sacerdotalis caelibatus* forte considerari posse ut documentum datum non a Summo Pontifice qua Ecclesiae universae Capite, sed a Patriarcha Occidentis et Primate Italiae. Nonne evidens est doctrinam contentam in his *Litt. Encycl. Summi Pontificis integre inniti sollemni magisterio Concilii Vaticani II?*

*comprobat et confirmat<sup>41</sup>* quoad omnes clericos ad presbyteratum destinatos,<sup>42</sup> quin hoc tamen ullo modo infirmet peculiarem disciplinam Ecclesiarum Orientalium vel significet praecognitam positionem — de re enim agitur, uti dictum est, ad fundamentalem Ecclesiae constitutionem non pertinenti — erga disciplinam ecclesiarum atque communitatum seiunctarum, quibuscum sincerum colloquium oecumenicum initum est.

Dum caelibatus legem iterum confirmabant, Concilii Patres prae oculis quidem habuerunt obiectionem haud novam in historiae cursu: an caelibatus lege humana imponi possit. Abs dubio huic quaestioni responsum negativum dandum est. Haec est ratio ob quam Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16, incipit recolendo perfectam atque perpetuam propter Regnum caelorum continentiam esse donum divinum, quod Deus tribuit cui vult. Est donum gratis datum et libere receptum, pertinens ad commune patrimonium Populi Dei<sup>43</sup> et in sua receptione suoque exercitio nullam admittit humanam violentiam. Ecclesiastica auctoritas dare eoque minus imponere nequit quod non habet. Potest tamen statuere receptionem huius doni qua condicionem necessariam ut fideles ad sacros Ordines accedere valeant: hoc est quod fit per legem caelibatus. Per hanc enim legem Hierarchia, quae Sacraenta a Christo instituta custodit atque administrat, statuit ut Sacramentum Ordinis non conferatur nisi iis de quibus morali certitudine constet se charisma perfectae continentiae recepisse, quique spondeant se tale charisma fideliter custodituros esse. Cum sacerdotium ministeriale secum ferat exercitium alicuius publici officii ac potestatis in Populo Dei et in eius servitium,<sup>44</sup> clarius adhuc intelligitur

<sup>41</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16.

<sup>42</sup> Prae oculis habitis iis quae in Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 29 de diaconis uxoratis statuuntur, in Decreto *Presbyterorum Ordinis* haec formula adhibetur, loco verborum Codicis Iuris Canonici: «Clerici in maioribus ordinibus constituti...» (can. 132, § 1).

<sup>43</sup> Quilibet fidelis, seu membrum quocumque Populi Dei, esse potest huius doni destinatarius. Hac de causa in textu Decreti dicitur: «Perfecta et perpetua propter Regnum coelorum continentia... a non paucis christifidelibus libenter accepta et laudabiliter observata...» (Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16). In expensione modorum animadvertisit illam generalem referentiam ad fideles fieri quia «sic illa perfecta continentia minus intelligitur tamquam monopolium clericorum et religiosorum» (Schema Decreti *De Presbyterorum ministerio et vita*, textus recognitus et modi, Typis Polyglottis Vaticanis, nov. 1965, responsio ad modum 11 in Cap. III, Art. II, p. 109).

<sup>44</sup> Cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 2. Hanc realitatem facile praetermitunt qui legitimitati legis caelibatus, tamquam contrariae iuribus personalibus christifidelium, adversantur. Considerant enim presbyteratum tamquam quid personale, videlicet ut officium simile aliis officiis, relate ad quae subiectum iure gaudet ea seligendi attentis imprimis, nedium exclusive, rationibus propriam utilitatem spectantibus. Prae oculis habere non videntur iudicium de idoneitate candidatus pertinere ad Hierarchiam, idque propter characterem ministeriale et publicum sacerdotii; immo in Ecclesia primaeva fideles non sese offerebant ad sacerdotium suscipiendum, sed designabantur a communitate ecclesiali cum Episcopo.

perfecta legitimitas qua Ecclesiae auctoritas, intuitu boni communis atque attentis rationibus theologicis et pastoralibus altissimae convenientiae caelibatus cum sacerdotio, statuere potest condicionem per caelibatus legem sancitam.

Agens hoc modo Ecclesia nullo modo laedit humanae personae dignitatem, ei impediens exercitum alicuius iuris naturalis — iuris nempe nuptias ineundi — merito recensiti inter partes integrales talis dignitatis: renuntiatio enim huic iuri libere fit a persona quae donum divinum perfectae continentiae recepit. Propter obsequium debitum erga dignitatem humanam atque christianam fidelium, necnon propter ipsum bonum pastorale Populi Dei, Hierarchiae prae ceteris interest ut assumptio huius responsabilitatis ex parte futuri sacerdotis sit vere conscientia atque facta in libertate filiorum Dei (cf. *Rm* 8, 21).<sup>45</sup>

Rationes hae omnes quibus innititur vinculum, etiam iuridicum, caelibatus cum sacerdotio in Ecclesia Latina, in mente Patrum Concilii Vaticani II subordinabantur, uti par erat, postremae atque definitivae interrogationi, in qua proponenda suas quoque partes habebant rationes magni momenti innixae in theologia pastorali, in sociologia et in scientia statistica: congruitne cum prudentia ut, pro tempore futuro, collatio sacerdotii ministerialis pendeat ex existentia et abundantia doni perfectae atque perpetuae continentiae? Responsum a Christi Sponsa datum huic quaestioni fuit actus fidei animum vehe- menter commovens, nam Collegium Episcopale in Concilio coadunatum vigentem legem comprobat et confirmat *confidens in Spiritu donum caelibatus, sacerdotio Novi Testamenti tam congruum, liberaliter a Patre dari*.<sup>46</sup> Cum fiducia reposita in divina misericordia, Ecclesia se tradit amori et potentiae Eius in quem credit, cum eadem illa firma fide propter quam Sponsus admiratione motus est (cf. *Mt* 8, 10), et in qua semper invenitur via necessaria ad salutem (cf. *Mt* 9, 2; *Mc* 16, 16; *Lc* 8, 12; etc.).

Ad sacerdotes, quibus hoc donum divinum custodiendum est, et ad universam fidelium communitatem, pro cuius vita sacerdotes suam vitam impendunt et sacrificio tradunt, officium, pertinet humiliter et sine intermissione postulandi a Patre, nomine Christi (cf. *Io* 14, 13), ne abundantiam huius gratiae suo Populo denegat. Rogat igitur Con-

<sup>45</sup> His non obstantibus, contingere potest ut sacerdos deinceps hanc sui donationem in dubium revocet. Defectus tamen in casu non legi ecclesiasticae sive institutioni — si quidem candidatus admissio facta fuerit servatis omnibus cautionibus hac in re necessariis: nempe quoad aetatem, libertatem, maturitatem psychologicam, valetudinem, etc. — sed ipsi sacerdoti est tribuendus, qui, pro dolor, donum Spiritus a se receptum apte non custodivit.

<sup>46</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16.

cilium non solum sacerdotes, sed et omnes fideles, ut eis hoc pretiosum donum caelibatus sacerdotalis cordi sit, petantque omnes a Deo, ut Ipse illud donum Ecclesiae suae semper abundanter largiatur.<sup>47</sup>

#### IV. PERSONALIS FIDELITAS DONO DEI

Huiusmodi ergo reflexiones contentae in Decreto *Presbyterorum Ordinis* circa valorem et significationem caelibatus sacerdotalis necnon circa naturam et rationem essendi legis caelibatum requirentis, Concilium Oecumenicum Vaticanum II duxerunt ad exponendas, modo inchoativo, rationes generales altae convenientiae quae obiectum nunc sunt examinis et pervestigationis ex parte cultorum scientiae theologicae.<sup>48</sup> Propter magnas implicationes personales et existentiales quas thema hoc de sacerdotali caelibatu secum fert, hae rationes a Concilio allatae — et necessario expositae modo brevi et generali — forte videri possunt abstractae vel insufficientes si quis eas consideret sub respectu mere rationalistico vel iuxta perspectivam quandam personalem parum serenam. Prae oculis tamen habendum est textum Concilii, propter suum ipsum characterem doctrinae generalis, eo non intendisse neque intendere potuisse, ut accurate et singillatim exponeret multiplices perspectivas vitales et concretas ex quibus sacerdotes — unusquisque sacerdos in particulari — possunt et debent profundius in dies comprehendere (cf. Mt 19, 12) magnitudinem doni recepti.

Ut fiat talis opera personalis meditationis, ex qua sequetur profundior intellectio caelibatus, Concilium exhortatur *omnes Presbyteros, qui sacrum caelibatum gratia Dei confisi libera voluntate secundum exemplum Christi acceperunt ut, illi magno animo et toto corde inhaerentes, atque in hoc statu fideliter perseverantes, agnoscant praeclarum illud donum, quod a Patre sibi datum est quodque a Domino tam aperte extollitur.*<sup>49</sup>

Solummodo enim in oratione, in intimitate scilicet colloquii immediati et personalis cum Deo, qui corda et mentes aperit (cf. Act. 16, 14), homo profundius penetrare valet in intellectionem et amorem divini propositi circa vitam suam. Si enim Christi ministri, *qua in fide educatores*,<sup>50</sup> hoc docent ceteros christifideles, bene intelligitur cur Concilium in mentem sacerdotum revocare voluisset necessitatem qua ipsimet adstringuntur dandi operam meditationi et orationi, ut propriae vocationi atque donis cum ea receptis fideles esse possint. Etenim solummodo per rationem illuminatam ab scandalo, ab stultia

<sup>47</sup> *Ibid.*

<sup>48</sup> Ampla quidem est bibliographia hac de re nuper edita, quae recensetur in hac ipsa ephemerede.

<sup>49</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16.

<sup>50</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 6.

(cf. *1 Cor 1, 23*) et a fecunditate Crucis (cf. *Io 12, 32*) intelligi potest plenitudo amoris a qua caelibatus oritur. Tantummodo per logicam non *intellectualisticam neque abstractam* — quae scilicet effugere non conetur sinceritatem responsionis personalis ad Deum unumquemque suo nomine vocantem (cf. *Is 43, 1*) — sacerdos perscrutari valebit *magna mysteria quae in eo* (in caelibatu sacerdotali) *significantur atque adimplentur*.<sup>51</sup>

In hoc spiritu orationis et adorationis, quo *Presbyteri gratiam fidelitatis numquam potentibus denegatam, una cum Ecclesia expostulabunt*,<sup>52</sup> exsistentia sacerdotalis aperietur etiam ad rectam comprehensionem difficultatum quas custodia doni perfectae continentiae secum fert simulque movebitur ad valorem tribuendum necessariis subsidiis supernaturalibus ac naturalibus normisque asceticis *quae ab experientia Ecclesiae probantur et quae in mundo hodierno haud minus necessariae sunt*.<sup>53</sup>

Caelibatus sacerdotalis minime excludit, etiam hic in terris, gaudium humanamque felicitatem (cf. *1 Cor 7, 40*). At vero, sicut omnes decisiones radicales et definitivae quae totalem hominis exsistentiam complectuntur, caelibatus est amoris vinculum arduum ac difficile. Hac de causa, non secus atque amor humanus, plenitudo amoris quam caelibatus secum fert cotidianam renovationem postulat in laeta hominis sui ipsius renuntiatione. Solummodo ita superari possunt difficultates a temporis transitu atque a carentia varietatis in propria vita («routine») ortae, necnon resistantiae — intellegibiles quidem in normali virilitate — carnis sacrificatae. Caelibatus enim est possibilitas normalis pro natura bene constituta, sed servari non potest adhibitis solummodo viribus naturalibus: «Expertus non eram, et propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscious. Cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est: *Neminem esse posse continentem, nisi tu dederis* (*Sap 8, 21*). Utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, et fide solida in te iactarem curam meam».<sup>54</sup>

<sup>51</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16.

<sup>52</sup> *Ibid.*

<sup>53</sup> Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16. Quaedam subsidia enumerabantur in redactione textus de caelibatu Patribus tradita die 28 maii 1965 (Schema Decreti *De ministerio et vita Presbyterorum*, Typis Polyglottis Vaticanis, 28-V-1965, n. 14, p. 37). Deinceps tamen Commissio magis expedire censuit ut enumeratio talium subsidiorum, quae textum nimis longum reddebat, ab hoc loco expungeretur, eo vel magis quod de ipsis iam agebatur modo generali in aliis locis Decreti *Presbyterorum Ordinis*. Haec quidem media omnibus patent: devotio erga SS.mam Eucharistiam, filialis cultus B. Mariae Virginis, frequens Sacramenti Poenitentiae usus, directio spiritualis (cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 18); itemque associationes quae sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent (cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 8); etc.

<sup>54</sup> S. AUGUSTINUS, *Confess.* 6, 11.